



TOPIC



~~1733~~

W. Stuber

W. Stuber



DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
**CAUSA EFFI-
CIENTE,**

QVAM
Auxiliante divini Numinis gratiâ
IN ILLUSTRIS ACADEMIA JULIA
PRÆSIDE
**JOHANN. BARTHOLDO
NIEMEIERO,**

*Primæ Philosophiæ Professore Publico
ac Ordinario*

Publicè examinandam proponit
CHRISTIANUS HENRICUS Behm/
Bodenwerderensis

AUTOR
IN JULEO MAJORI
Ad d. XXII. Martii clō lsc XXCIV.



T 173

HELMESTADI,
Typis HENRICI HESSII.

DEPUTATIO METAPHISICA
DE
CAUSA EFF.

CLIENTE

IN TERRA
JOHANNI BARTHOLDI

MEMBERO

CHRISTIANI

IN VESTIBULO
TYP. HENRICH. HESSII





I. N. D.

§. I.



Um de singulis Causarum generibus seorsim agere animum induxi, non opus esse reor magnò nisu illam prensare palmam, quam huc usq; in medio positam esse atq; exhibitione universalis cujusdam definitionis, quâ Causæ natura in genere declaretur, obtineri posse pollicetur *Franc. de Oviedo Phys. Contr. VII. Punct. I. num. I.* Siquidem me non tenet illud φιλοειτίας cacoëthes, quod jam tum Galeni temporibus eruditum, penè occupaverat orbem, atq; inde longò tempore non sine summa studiorum Philosophicorum noxa serpsit, donec tandem in ipsorum Scholasticorum animos irreperet; quin potiùs nunquam non memor sum illius *IX. Met. VI.*
ὁ δὲ παντὸς ὅρον ζητεῖν, ἀλλὰ τὸ ἀνάλογον συνορᾶν.

II. Cùm enim Causæ ratio in inferioribus eòdem modò se non habeat, sed eadem respiciat ut commune ab uno, latere nos non debet, quòd in his rebus, quarum subjecta differunt specie, & eorum aliud est primum, aliud secundum, aliud consequens, vel penitus nihil, quâ talia sunt, commune sit, vel γλισχεως, exiliter; ceu præclare animadvertit Philosophus *III. Polit. I. p. 138.* qui pari ratione *I. Ethic. Eudem. IIX.* monuit: *In quibus est prius & posterius, eis communem quandam ideam & separabilem nequeas constituere.* Unde nec Galeni descriptio, quâ teste *Clariss. Piccartò in Philos. Altorff. p. 101.* Causam dixit esse eam, quæ suapte naturâ ei, quod fit, partem aliquam

A 2

aliquam

aliquam generationis confert; potuit ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς implere, nec inter Scholasticos vel Conimbricenses ad II. Phys. VII. Quæst. I. Art. I. vel ipse Suarezius Disp. Met. XII. Sect. II. num. 4. ejusmodi exhibere potuerunt Causæ definitionem, quæ absq; omni esset nævô, quantô etiam cum applausu in scholis eadem esset suscepta.

III. Cùm ergò ridiculum potiùs sit, querere talium πρὸς τὴν ἁπλοῦς ἐνὸς communem rationem, cùm nullam habeant; II. de Anim. cap. III. t. 30. meliùs fortè natura Causæ cognoscetur, si ipsis inferioribus modisq; ejus enumeratis singulorum naturam contemplat, fuero. Quô tamen in negotio glaciem iterum fregit eruditionis illud miraculum Aristoteles, qui non solùm eas res, in quibus plurimæ observari possunt causæ, naturales putà, exactè circumspiciens, verùm etiam profundam priscorum Philosophorum sapientiam altiùs repetens deprehendit, omnes causas in quatuor modos incidere apertissimos; V. Met. II. Causæ quadrifariam dicuntur, quarum unam dicimus substantiam quidditatemq; rei, alteram verò materiam & subjectum: tertiam, unde principium motûs existit: quartam eam, quæ huic opposita est, & id, cujus gratiâ, ac bonum ipsum est; verba sunt Arist. I. Met. III. Add. V. Met. II. libr. III. Phys. III. t. 27. sqq. cap. IX. t. 68. libr. I. de Gener. anim. cap. I. libr. I. Poster. Anal. cap. XI. §. I.

IV. Causarum istiusmodi sive modos sive genera ita se invicem respicere, ut aliud eorum sit primû, aliud consequens, indubitatum apud me est; quamvis diversa possint esse fundamenta, secundû quæ illa sive prioritas sive posterioritas possit æstimari, quæ tetigerunt quoq; Conimbr. ad II. Phys. VII. Quæst. XX. Art. II. & cum iis Bened. Perer. libr. III. de comm. rer. nat. princ. & caus. cap. V. Quòd si tamen modum causandi secundum ordinem executionis velimus spectare.

spectare, fortassis efficientem causam oportebit haberi pro prima causa. Quò sanè pactò *Plato in Hippià majore* ait: *efficiens & causam nihil omninò differre.* Et *S. Augustinus libr. 83. Quæst. Quæst. 28. omnem causam vult efficientem esse.* Quà ratione quoq; *Bernh. Morisani Disp. Phys. III. Quæst. VI.* perhibet, causæ efficienti nomen causa convenire antonomasticè. *Cum enim simpliciter aliquid dicimus alicujus rei causam, solemus intelligere efficientem.* Quòcum tacit *Rodericus de Arriaga Disp. Phys. IIX. num. 81. inquit: Causa absolutè prolata supponitur pro producente physicè & realiter effectum.* Analogum enim absolutè positum stat pro primo analogato. Unde & *Suarez Disp. Met. XVII. Sect. I. num. 3. asseverat, efficientem causam in executione esse primam: imò illam solam esse, qua per se realiter influit seu movet.*

V. Quò tamen & hoc accedit, quòd illa ratio, per quam aliquid est causa, multò sit manifestior in efficiente, quàm in reliquis causis; quæ facit, ut vulgus, etiam si reliquas causas ignoret omnes, hanc tamen non possit non pro causa habere. Quæ omnia me quoq; movent, ut primò locò de causa efficiente sim acturus.

VI. In hujus verò naturam dum paulò altiùs defigo oculos, iterum in mentem mihi venit, quòd sub initium indicavi: nempe & hujus varios esse ordines & rationes diversas. Aliter namq; ad effectum se se habet is, qui innocentem interfecit, aliter qui homicidium imperavit, vel consilium ejus dedit. Aliter ad effectum v. g. domum comparatus est architectus, aliter securis, & malleus: Neq; eòdem modò Deus cum creaturis concurrens causa est effectuum sive naturalium sive liberorum, quò illi à causis secundis pendent. Quæ omnia non solùm indicant enormem diversitatem, quæ inter causas efficientes

A 3;

inter-

intercedit, verum etiam innuunt, unam harum esse πρώτος, alteram vel reliquas esse δεύτερος tales.

VII. In hoc quidem conveniunt, quod ab iis producatur & dependeat aliquid. Quod verò hoc pacto per aliquam causam efficientem fit ac producitur, reverà est ejus correlatum, communiterque aliàs effectus solet vocari. Hunc verò effectum, si permanens fit, cum causa efficiens non semper in esse conservet, sed productio eodem actio ipsius causæ cessare possit, imò frequenter cesset, hinc sæpe non tam id, quod effectum est, huic causæ per modum correlati respondet, quàm id, quod efficitur. Vid. P. Musæus *Instit. Met. cap. XIII. §. 12.* atque hoc pendet nunc ab una causa efficiente, nunc à pluribus; quæ tamen iterum vel ita se habere possunt, ut earum una non pendeat ab altera in causando, vel ut una alteri sit subordinata.

II. Id itaque unde aliquid hoc pacto dependet, nulla erit alia causa, quàm efficiens. Quò λόγω ita quodammodo hæc causa designatur, ut à reliquis causarum generibus nullò negotiò queat distingui. Cum enim particula ὅθεν hîc specialius significet habitudinem principii externi, non tamen ejus, quod ἔνεκα est, facile apparet, quomodo à fine discrepet efficiens. Facilius hoc ipsò à causis internis sejungetur, quarum altera sese habet tanquam ἐξ ἑ, altera verò tanquam καθ' ἑ. Atque sic ipse effectus, tanquam aliquid nobis notius in causæ hujus cognitionem deducere nos potest.

IX. Summus Philosophus *Aristoteles* huc pariter digitum intendit, quando *V. Met. II. nec non II. Phys. t. 29.* inquit: ἐπὶ ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς ἢ πρώτη, ἢ τῆς ἡρεμῆσεως. οἷον ὁ βυλεύσας ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ ὁ πατὴρ τῶν τέκνων. Præterea
causa

causa est *id*, unde primum mutationis aut quietis principium existit; quò pactò causa est is, qui consilium dedit, & pater filii. Ne verò quis putet angustiis his limitibus conclusam esse efficientem causam, statim addit: *καὶ ὅλως τὸ ποιεῖν τὸ ποιημένον, καὶ τὸ μεταβλητικὸν τὸ μεταβάλλοντος.* Et unò nomine sive in univèrsum *id*, quod efficit, ejus, quod efficitur, & quod mutandi vim habet, ejus quod mutatur. Imò in sequentibus ita addit: *Labor bonæ habitudinis causa est ut principium motus.* — Quod cùm adest hujus rei est causa, *id*, si absit, contrariè causam esse interdum querimur, ut gubernatoris absentiam eversiois navis: *cujus presentia erat causa salutis.* Verùm utraque & presentia & privatio cause sunt ut moventes. — Semen verò & medicus, & qui consilium dedit, *καὶ ὅλως τὸ ποιεῖν ac omninò efficiens, omnia cause sunt unde principium motus aut status.*

X. A causa igitur efficiente hòc pactò est motus & mutatio, imò & illud ipsum, quod per motum ac mutationem producitur. Quò sensu & i. *Met.* iii rotundè ea dicitur esse *id*, ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, unde est principium motus; sicuti & cap. seq. XII. αἰτίον τῆς κινήσεως appellatur.

XI. Ubi sanè Philosopho non debet vitio verti, quòd in explicanda causæ efficientis natura tantùm τῆς κινήσεως καὶ μεταβολῆς fecerit mentionem. Præcipuè enim instituit investigare causas rerum naturalium, in quibus sanè efficientes non possunt sine motu esse; ac quamvis etiam agentia secundum artem, cujusmodi sunt medicus & architectus, non planè seposuerit, imò attigerit etiam ista, quæ ἐκ τῆς προαιρέσεως operantur, cujusmodi est is, qui consilium suppeditat, attamen fugere ipsum non poterat, artis quoq; opera pleraq; fieri cum motu, quin imò actiones proæreticas externas & in sensus incurren-

tes

tes requirere sæpius aliqua corporis instrumenta, atq; sic nihilominus ad earum ultimam perfectionem & complementum motum quoque requiri. Sicuti autem alias naturalia Græcis pulcherrimè dicebantur *scala*, per quas adscendatur ad τὰ τῆ φύσιν ἀνώτερον III. Met. III. eaq; , quæ reverâ sunt immobilia; ita etiam ex ipso motu ac mutatione deduci debemus in cognitionem istarum τῶν ἐπεργειῶν, quæ motus non sunt, IX. Met. VI. atq; in specie in cognitionem ipsius *creationis*, quæ quòd omnem materiam, subjectum omne respuat, non motibus accensenda erit, sed τῆ ἐπεργείῳ.

XII. Quam in rem non malè *Fonsæca* ad I. Met. VII. *Quest. I. Sect. II.* ita loquitur: *Quanquam verò Aristoteles vix unquam, nisi per motum & mutationem causas explicat, quòd maximâ ex parte loquatur de causis rerum naturalium, quæ nobis sunt familiares, ex iis tamen definitionibus eliciendas vult & abstrahendas eas, quæ mutationem non includunt. Quod facillimum est substitutò nomine ACTIONIS in locum motus ac mutationis, sunt aq; actione in commune, prout omnes operationes complectitur. Quod dicit Fonsæca, vocè motionis posse extendi, si pro ea vox actionis communiter sumpta, ac prout ea τὰς κινήσεις, quàm τὰς ἐπεργείας specialiter ita dictas ambitu suò complectitur, substituatur, comprobatur quoq; Suaresius *Disp. Met. XVII. Sect. I. num. 4.* inquit: *Si Aristotelis mentem inspiciamus, videtur quidem solum de fixa visse causam efficientem naturalem, quæ semper agit per motum & mutationem: In II. enim Physicorum tantum de causis naturalibus Aristoteles disputat, & tamen in V. Metaphysicorum nihil omninò addit aut definitioni aut doctrinæ de causa efficiente. Utroq; tamen locò insinuavit, servatâ proportione, posse definitionem extendi ad omnem efficientem causam. Si ergò locò illius vocis mutationis vel quietis**

pona-

ponamus vocem actionis, comprehendet definitio omnem efficien-
tem causam, etiam primam creatam, quia etiam creatio actio est,
quamvis non sit mutatio. Eadem apud Bernb. Morisani
Disp. Phys. III. Quæst. VI. habentur: Si pro mutatione pona-
tur actio, & dicatur causa efficiens esse primum per se, à quo pri-
mò est actio, definitio conveniet Deo respectu creationis, quæ alio-
qui propriè non est mutatio, nec Deus creans principium muta-
tionis. Quæ ideò adducenda fuerunt, ne Petrus Hurtadus
de Mendoza Disp. Phys. IX. Sect. I. n. I. doctrinam Aristote-
lis amplius fugillet, perhibens, eam causæ creanti, quæ per
motum non agit, non convenire.

XIII. Neq; verò solùm ex Philosophi mente mutati-
onis & motûs principium est causa efficiens, verùm etiam
ea nonnunquam est quietis principium, quandoquidem
fieri potest, ut motus ordinetur ad quietem. *Motus na-
turalis & quies naturalis in eandem causam reducuntur: & simili-
ter quies violenta & motus violentus: ex eadem enim causa, ex qua
moveretur aliquid ad locum, quiescit in loco; ait Thomas in l. c.
quem sequitur P. Fonseca ad V. Met. II. inquit: Additur:
aut quietis; quia eorum, quæ mutationi subsunt, quadam Ari-
stotelis sententiâ perpetuò moventur, neq; ut quiescant, sed in eo,
quòd moventur, perfectionem suam positam habent, ut sol, luna
&c. quadam interdum moventur, interdum quiescunt, & ideò
moverentur, ut quiescant: veluti elementa: moventur enim ut lo-
cum assequantur, quò adeptò moveri desinunt. Hòc autem modò
quies veram, realem & per se causam efficientem habet, quemad-
modum & motus; imò etiam veriùs, quàm motus, qui ad talem
quietem ordinatur. Neq; enim hòc locò sumenda est quies ut me-
ra privatio motûs, sed pro adeptione formæ, quæ per motum acqui-
ritur. Quòd postremum etiam annotavit Ernestus Sonerus
ad cit. loc. Petrum Fonsecam aliàs in multis secutus.*

B

XIV. Addi-

XIV. Addidit etiam Aristoteles, efficientem causam esse *primum* motûs principium ; quod ratione executionis intelligendum esse *Fonseca, Suarez, Morisani, Sonerus*, diligenter monuerunt. Vocem istam: primum; solum additam esse vel ad excludendas causas omninò per accidens, quæ nullò modò propriè influunt in actionem, vel ad denotandum proprium modum causandi efficientis causæ, & distinguendam illam à materiali & formali, quæ non ita sunt primæ, quemadmodum efficiens; vult quidem *Suaresius cit. loc.* Sed hoc nihil est. Ad causam enim efficientem ab internis causis discernendam sufficiebat ipsius proprius character, quòd sit τὸ ὄντων; An ergò Aristoteles, cujus concisior & significans loquendi ratio nota est, idem voluit bis dicere? Non equidem crediderim. Prius verò concidit, quòd eòdem locò Aristoteles ex intervallo causam efficientem in alios modos resolvat, in specie in eos, secundum quos ipsa quoq; efficiens est vel per se talis, vel per accidens; ipsemet verò *Suaresius* non ausit omnes causas per accidens ex numero causarum eximere, sed tantum eas, quæ sunt ex parte effectûs tales.

XV. Malim ergo amplecti sententiam *Themistii* ad *cit. loc.* & *Alexandri Aphrodisiensis*, aut quisquis autor est commentariorum, qui sub ejusdem nomine circumferuntur, contendentium, eâ voce quàm maximè respici ad causam principalem tanquam ad primum analogatum, ad quod secunda analogata, nempe instrumentales causas, oporteat reduci. Quâ in sententia Latini quoq; interpretes me confirmant, suamq; illam fecit *Clariss. Dn. Praeses Disp. de Subordinatione causarum §. XIX. XIX. XX.*

XVI. Ceterum quandoquidem indicium feci, Aristotelem in consideratione causæ efficientis quàm maximè

mè rationem habuisse primi analogati, non solum hoc, sed & reliqua oportet specialius intueri. Cùm autem Aristoteles verbis §. XI. citatis indicet, *initium motus fieri posse vel agendo directè in effectum, vel suadendo, impellendo, applicando, quod duobus exemplis, patris & consulentis, innuit, imò efficiendo & mutando; Scholastici distinxerunt inter causam Physicam & Moralem. Non malè; inquit Drejerus Prim. Philos. Diss. VI. §. 12. Hòc enim pacto non solum diversitatem causarum efficientium putarunt se commodius indicare posse, verùm etiam istà ratione clarius apparebit, cuinam ratio causæ conveniat πρώτως, cuinam δευτέρας.*

XVII. Etenim cùm *causa efficiens non predicetur univocè de omnibus causis sui generis, sed velut vocabulum κοινὸν ἀφ' ἐνὸς ἢ πρὸς ἐν, constare facile poterit, nomen illud prius causis influentibus i. e. physicis, postea iis, quæ non influunt physice i. e. moralibus competere; verba sunt P. Musæi Inst. Met. cap. XII. §. 8. Cujus quidem diversitatis & inæqualitatis rationem inter alia in eo oportebit quæri, quòd ratio causæ debilior & minus conspicua sit in efficientia morali, quàm physica: hac enim realem virtutem de se diffundendo & impertiendo officium facit, sicut generat animal animatum: illa non nisi voluntatis motione, sive directà ea sit, sive indirectà sit, ita se gerit, ut homo inde honestè aut inhonestè, cum laude aut vituperio egisse censeatur; inquit Cl. Dürrius Inst. Eth. part. III. Sect. I. cap. II. num. I. pag. 81. Vid. Cl. Dn. Prasidis Institt. Metaph. Diss. VI. §. II. Ideò verò ratio causæ minus conspicua est circa efficientiam moralem, quòd illa effectum non attingat immediatè, sed mediante causa physica; ceu mox pluribus indicabo.*

XIIX. Physicam verò causam h. l. non appellant eam, quæ infrà naturalis vocabitur, licet nomina non nisi

idiomate sint discreta: Naturalis enim causa ad physicam se se habet tanquam inferius ad superius. Neque etiam intelligitur sola causa, quæ naturam habet & res corporea est, sed quodlibet agens, sive sit res spiritualis, sive corporea & materialis, sive sit agens supernaturale, sive vitale, sive aliò modò se habens, physica causa esse potest, ceu monet *Mendoza Disp. Phys. IIX. Sect. IX. num. 114* & cum eo *Suarez Disp. Met. XVII. Sect. II. num. 6*. Causa itaq; physica juxta hos est ejusmodi causa, *quæ verè ac realiter influit in effectum*; ceu *loc. cit.* ait *Suarez*; quam descriptionem retinuerunt *Stalius Institt. Met. cap. XII. §. 3.* & *P. Musæus Inst. Met. cap. XIII. §. 2.* Quò pactò ignis caloris in aqua producti, sol luminis in aëre, architectus ædificii sunt causæ.

XIX. Quamvis verò secundum ipsius *Suarezii* doctrinas *influxus* cuilibet causarum generi debeat convenire, hoc ipsum tamen generis nomen ad exprimendam speciem ab ipso sic fuit traducendum, ut influxus hîc *actionem & effectionem* designet. Hunc influxum *realem* vocat non solum ad differentiam ejus motionis, quæ in causa finali observatur, verum etiam ad differentiam causæ moralis, de qua dicit, quòd *per se* (h. e. immediatè) *non verè efficiat, moraliter tamen ita se gerat, ut ei imputetur effectus*. Realis igitur influxus *Suarezio* h. l. non tam est, quando agens *verè attingit effectum*, ceu *P. Fonseca ad V. Met. II. Quest. V. Sect. I.* exponit, quò pactò effectum attingit tùm *faber*, tùm *securis*, quæ *Fonsæ* exempla sunt *loc. cit.* quàm potius, quando eundem attingit per se, h. e. non solum non per accidens, sed & immediatè ac per propriam suam entitatem. Unde sunt, qui hanc *Suarezii* mentem distinctius exprimere volentes dicunt: cau-
sam

sam physicam esse causam per actionem immediatam, si-
ve esse causam, quæ effectum suò influxu immediatò at-
tingit & producit. Add. P. *Museus loc. cit. cap. XI. §. 10.*

XX. Quibus ipsis dum hinc inde expendendis im-
moror, id quidem agnoscere cogor, cum causa physica pro-
pria suâ entitate & immediatè influere effectumq; attingere
dicitur, accipiendum id esse comparatione causa ipsi opposita, hoc
est, moralis, quæ quatenus talis effectum reverà non attingit
neque per se se, neque interveniente organò physicò, quod ab illa e-
levetur; ceu loquitur Dn. D. Rixnerus *Disp. de præcip. inter
causam physicam & moralem differ. §. VII.* attamen id maxi-
mè mirum est, quomodo causa physica possit dici imme-
diatè influere, cum tamen, si principalis sit, sæpe agat me-
diante instrumentò physicò? quò pactò faber cudit adhi-
bitò malleò, ac lignator secat finditque ligna mediante
ferrâ vel securi. Imò qui missâ sagittâ alterum, à quo
longiùs remotus est, interficit, mediante hâc ipsâ sagittâ
in istam cædem influit. Accedit & hoc, quòd causa phy-
sica de principali dicatur *πρώτως*, de minùs principali
δευτέρως. Jam sicut communia ab uno absolutè posita
stant pro primo analogato, ita in hujusmodi communi-
um ab uno (quale physicam causam esse dixi,) descri-
ptione potissima ratio fuisset habenda primarii analogati,
atque sic descriptio fuisset instituenda, ut ea non tam cau-
sæ instrumentali, quam causæ principali conveniret. At
verò hæc, ceu dixi, non semper attingit suum effectum
entitate suâ, adeoque immediatè, sed sæpius mediante
causâ instrumentali.

XXI. Faretur Vir quidam clarissimus in suis *Institt.
Metaph. cap. XXII. §. I. n. 3. p. 1025.* sanò quidem sensu, minùs ta-
men accuratè de causa principali, quæ unâ cum instrumento con-

B 3

juncto



juncto sicq; cum causa efficiente instrumentali agit, dici posse, quod mediante aliâ causa efficiente agat, non tamen id propter ejusmodi causam efficientem principalem mediatam dici solere. Præced. cap. XVI. §. 10. num. 3. ita dixerat: Accuratè philosophantur, qui dicunt: causa principalis agit mediante instrumento separatò: non verò accuratè dici ac defendi potest hæc propositio: causa principalis agit mediante causâ instrumentali. Ratio est, quia æquè immediatè actio & effectus à causa principali atque instrumentali procedunt: Secus verò se res habet cum causa principali & instrumento ejus separato. Falluntur ergò, qui causam principalem pro causa mediata habent. Nec subeat mirari, quâ ratione una eademq; numerò actio, item unus idemq; effectus secundum omnes & singulas partes à realiter distinctis agentibus unâ procedere possit: Istud fit, quia cause instrumentales principalibus in agendo sunt subordinatæ.

XXII. Tantus non sum, qui tam celebris viri doctrinas possim sub examen vocare, & modestia, quæ juvenem decet, fermè me revocat; major insuper me tenet discendi & à doctissimo hoc ore, sublimique illâ, quam spirat, scientiâ pendendi cupiditas, quàm alios docendi. Interim tamen cum & veritati litandum esse, semper duxerim, atque laudati hujus Philosophiæ pariter ac Theologiæ antistitis humanitas publicè nota sit, veniam profectò is mihi dabit, si istis verbis tanquam dubitandi occasione, fuerim usus, non ut prolixam eorundem refutationem humeris meis maxime imparem suscipiam. Quòd si enim potest magnos viros à suis doctrinis nonnunquam dissentientes ferre, siquidem

— — — *diversum sentire duobus*
Incolumi licuit semper amicitia,
me quoque vix in limine sapientiæ hætenus quidem hæren-

rentem ad aliqualem tamen scientiam, si Deus & Patroni voluerint, adspirantem cum dubitationibus meis non repudiabit. Id quod sicuti publicè rogo, ita etiam hos meos conatus sinistrè haud acceptum iri confido.

XXIII. Primùm igitur difficile mihi fuit penetrare, quæ ἀκυρολογία quædam sit in eo, quando dicitur: causam principalem agere mediante causâ instrumentali? aut cur iste modus loquendi non sit satis accuratus? Distinctio inter mediam causam & mediatam causam vix paliativam promittere videtur sanationem. Quid si enim dicam: causam physicam principalem esse mediatam, instrumentalem causam esse mediam? mediam nempe inter principalem & effectum? Principalis sanè causa eò ipsò est mediata, quòd, ceu conceditur, agat mediante instrumentò; sed hoc instrumentum, si vel activum sit, vel effectivum, eò ipsò dum ab agente principali ad agendum adhibetur atq; elevatur, fit causa; & sic causa principalis agit mediante causâ instrumentali, instrumentalis verò causa demùm immediatè effectum attingit. Neq; est, quòd quoad hoc aliam instrumenti separati, quàm ejus quod secundum operationem est conjunctum, rationem esse causari velimus. Omnino alia quidam ratio est instrumenti separati, quàm conjuncti, in eo tamen conveniunt, quòd sicut causa principalis agit mediante instrumentò separatò, ita & si instrumentò indiget, sæpius agit mediante instrumentò quoad operationem conjunctò, quandoquidem & hoc à causa principali realiter distinctum est, & ab eadem est elevandum.

XXIV. Præterea si causa mediata mediatione virtutis inter alia est illa, quæ efficit, ut altera operetur, ceu docet *Stalins Tab. Metaph. XI. & Discurs. ad eand.* causæ nihil potest

potest dici, cur principalis causa non sit habenda pro causa mediata sui effectus, instrumentalis verò causa pro causa immediata ejusdem? Neque est quod dicas, sermonem esse de immediatione suppositi, quandoquidem causa physica dicitur entitate ac substantiâ sua attingere effectum. Hoc enim itidem non ubiq; verum est. Etenim si sagittâ alter vulneretur eminus, is qui vulnerat, vulneratum non attingit entitate suâ. Similiter qui longiore hastâ utitur ad motum corporis alicujus ciendum, sicut ipsum corpus motum non attingit entitate suâ, ita nec motum: is enim in illo corpore est. Et sanè ubi causæ physicae munere fungimur, sæpius defugimus illam approximationem immediatam substantiæ nostræ ad objectum, in quod agimus. Sic v. g. anguem non tactu corporis nostri, sed vel baculô, vel aliô instrumentô interficimus, eôq; ipsô prohibemus, ne propior nobis fiat. Sagitta autem est instrumentum separatum, hasta verò sicuti & baculus, est instrumentum conjunctum quoad operationem, licet non sit instrumentum conjunctum quoad esse.

XXV. Quòd si etiam in rationem illam inquiram, quâ probatur: causam principalem non agere mediante causâ instrumentali; ea hæc esse dicitur: *quia æquè immediatè actio & effectus à causa principali atq; instrumentali procedit.* Sed in hac id jure desideraveris, quòd sit ejusdem per idem, siquidem de eo jam disceptatio est, an effectus æquè immediatè à principali proficiscatur, quàm ab instrumentali? quod sanè idem est, ac si quæras: an principalis causa agat immediatè, an verò agat mediatè, mediante nimirum causâ instrumentali?

XXVI. Neque

XXVI. Neq; ex eo, quòd causa principalis ac instru-
mentalis sibi sint subordinatæ, hoc inferre licet, quòd
utraq; illarum sit æquè immediata; sed tantum hoc
sequitur, quòd ad unum terminum tendant, imò
ratione hujus unam aliquam totalem, ut Scholastici
loqui solent, vel ut alii malunt loqui, ad æquatam causam
constituant, ac proinde unius actio in alterius actione qua-
si includatur ob unitatem termini, licet una effectum at-
tingat mediatè, altera immediatè. Nisi enim hoc ita es-
set, etiam de causa morali ac physica dici posset, quòd cum
una alteri sit subordinata, sint æquè immediatæ; id quod
tamen nemo admiserit.

XXVII. Tandem neq; ex modo agendi causæ primæ
cum secundis hoc ipsum declarari potest. Præterquam
enim quòd causæ secundæ non sint ubiq; causæ primæ
instrumenta propriè loquendo, omninò etiam non pec-
cabitur, si dicatur: causam primam esse immediatam im-
mediatione suppositi, utpote quæ est omnipræsens quoad
substantiam; id quod creaturæ non competit. Est &
immediata immediatione virtutis hòc ipsò, quòd non
agat virtute à se diffusâ; siquidem non tantum virtutem
agendi & motum impressit creaturæ, verum etiam post-
modum creaturæ cooperatur. Interim tamen secundum
aliud λόγον est causa mediata, quatenus creaturæ virtu-
tem agendi dedit, eandemq; conservat, imò etiam quate-
nus ad actiones creaturarum cooperatur, quando ab iis
determinatur.

XXIII. Atq; sic patet, omninò non omnem causam
physicam suâ entitate attingere effectum, sed mediante
aliâ, licet sibi subordinatâ, quæ utiq; potest esse instru-
mentalis. Id quod tamen non solum de instrumento se-
parato, sed & de eo, quod quoad operari tantum conjun-
ctum

C

ctum

etum est, accipiendum erit, ceu jam tum indicavimus. Quod si enim quis instrumentò quoad esse & operari simul conjunctò utatur, is dicetur quidem suâ entitate attingere effectum, sed ideò, quòd instrumentum sit pars ejus, qui est causa ut principium. *Quod ac ultimum.*

XXIX. Videor mihi vel hâc ipsâ dubitatione non solum ostendisse, communem atq; ubiq; fermè receptam causæ physicæ definitionem eâ ratione, quâ communiter illa solet explicari, non primo analogato, ceu fieri par erat, h. e. causæ principali, sed magis causæ instrumentali, quæ tamen secundum analogatum est paucioribus numeris tale, potius convenire, verùm etiam re ipsâ expertus fuisse, quàm difficile sit, communium ab uno naturam extra inferiora speculari, ac quàm operosè nihil agant, quos nimis anxia sollicitudo in has curas excitat. Equidem maluerim causæ physicæ naturam seorsim spectare tam in causa principali, quàm in causa minus principali, quippe de quibus illa inæqualiter prædicatur.

XXX. Ab instrumentali verò incipere visum est, quandoquidem hanc ad suam principalem tanquam eam, quæ pluribus numeris causa est, oportet revocari. Quamvis itaq; sic lubens agnoscam, causam principalem esse *πρώτος*, instrumentalem verò causam *δευτέρος* talem, non tamen adduci possum, ut cum Clarissimo quodam viro existimem, hanc propterea *minus proprie*, (i. e. æquivocè) *causæ efficientis nomine censeris*; nisi fortè τὰ κοινὰ πρὸς ἐν τῶν ὁμοιούμων nomine cum Græcis complectatur. *Neq; enim si quid aliquantum absit à rectissimo illo, quod pro mensura ceterorum, quæ ab isto primo longius aut minus longè recedant, constitutum est, statim illud pro distorto & pravo habendum, nomineq; ejus rei privandum esse, merito existimo cum Doctiss. Scherbio Dissert. advers. Ramist, cap. III. §. 1. 2.*

XXXI.

xxxi. Instrumentalis verò causa nomen ac appellationem sortita est ab instrumento, quod iterum ἐκ τῶν πολλὰ χῶς λεγόμενων esse res ipsa loquitur. Etenim 1. instrumentis accensentur partes viventium dissimilares v. g. manus, dens. *III. de Anim. IIX. t. 38.* 2. qualitates, quatenus substantiis ad effectus vel motiones substantiales conducunt; quò pactò calor nonnullis dicitur instrumentum nutritionis & generationis. 3. Sunt instrumenta vel effectiva, vel activa. *I. Polit. IV.* 4. Instrumenta sunt vel animata, vel inanimata. *I. Polit. IV.* Quæ prioris sunt generis *Varroni libr. I. de rer. rust. cap. XVII.* dicuntur partim *vocalia*, partim *semivocalia*. Quæ ad posteriorem classem pertinent, eidem dicuntur *muta*. 5. Instrumenta sunt vel separata, vel conjuncta; atq; hæc rursus vel secundum esse & operari simul v. g. manus, vel secundum operari tantum. v. g. malleus, securis. 6. Instrumenta sunt vel physica, vel moralia. 7. à nonnullis quoq; causæ secundæ respectu primæ dicuntur instrumenta, quamvis id fiat ἀκέρως. *Platoniorum nonnullorum hanc fuisse opinionem testantur Combr. ad II. Phys. VII. Quest. XII. Art. 3.* nisi fortè Platonici eâ latitudine instrumentum dixerunt, quod alteri in agendo subordinatum est. Quò sensu etiam *Thomas de Potent. Quest. III. Artic. VII.* dixit; *Sic ergò Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divina virtutis operantis.* 8. Instrumentis quoq; accensentur habitus nonnulli, qui propterea vocantur *instrumentales*; cujusmodi est χαλινοποιητικὴ, φαρμακοποιητικὴ.

xxxii. Variam hîc subesse instrumentorum rationem magnamq; differentiam quis hîc non videat? Vid. *Stabl. Regg. Phil. part. II. Disp. VI. Reg. VII. §. 14.* Nihilominus illorum recensitorum generũ pleraq; secundũ proportionem in hoc videntur convenire, quòd *per se sint usus alicu-*

jus gratiâ, ita ut illum præstare possint; de quo λόγῳ alia par-
ticipant magis, alia minùs. Quemadmodum & hanc in
rem Aristoteles I. de part. anim. cap. V. inquit. τὸ μὲν ὄργανον
ἕνεκά τ' ἔνεκα, τὸ δ' ἕνεκα, πράξις τις. Atq; adeò quidem instru-
menta sunt usûs gratiâ, ut si inidonea reddantur ad hu-
jusmodi usum, ad quem per se aliàs erant ordinata, instru-
menta non amplius sint, nisi æquivocè. Id quod iterum
docet Arist. IV. Meteorol. XII. inquit: Omnia sunt termina-
ta opere: omnia enim, quæ possunt facere opus suum, verè sunt in-
strumenta; ut oculus, si videt; quod autem non potest, æquivocè:
ut mortuus, aut lapideus oculus; neq; enim serra lignea, nisi ut
imago serræ existit. Et paulò ante: Manus mortui æquivocè,
quemadmodum & si fistulæ lapideæ, dictæ fuerint. In quem lo-
cum Ludovicus Boccaferreus pag. 242. ita scribit: Oculus vivus
est verè oculus, & univocè oculus; sed oculus mortuus (animalis
mortui) est æquivocè oculus, & non verè: quare? quia in oculo
vivo reservatur facultas videndi & potentia, in mortuo non:
ergò oculus est verè oculus per istam potentiam operandi, cùm est
vivus. Serra ferrea dicitur verè serra; lignea verò æquivocè
& non verè dicitur serra, quia ferrea serra habet facultatem ope-
randi, lignea verò non habet facultatem operandi. Conf. II. de
Anim. cap. I. t. 89. I. Pol. IV. p. 7. VII. Polit. IV. p. 443. II. Phys. IX. t. 88.
XXXIII. *Quem verò instrumenta præstare possunt,*
usum, illum præstant nunc secundum potentiam acti-
vam, nunc secundum potentiam passivam, nunc aliò
modò, v. g. tanquam causæ sine quibus non. Aptitudi-
nem verò usum istiusmodi præstandi tria potissimum ef-
ficiunt: 1. certa materia; sic serra non est, si sit lignea. II.
Phys. IX. t. 88. sed oportet eam esse ferream; nec manus
lignea est manus. 2. forma & figura certa ac determina-
ta. Hinc v. g. serra non est, nisi sit denticulata. 3. justa quanti-
tas. Unde Arist. VII. Polit. IV. pag. 443. dicit, non esse navi-
gium

gium, quod palmi unius longitudinem non superat, aut duorum stadiorum longitudinem exæquat.

XXXIV. Instrumentum huiusmodi si usui inferviat, potest fieri causa instrumentalis, attamen non aliter, quam si secundum potentiam activam ad istum usum adhibeatur. Ideoque instrumentum tantum facultate & potentiâ five aptitudine agendi, causa verò instrumentalis actu ipso describitur. Unde colligitur, instrumentum latius patere, quam causam instrumentalem. Quod & inde manifestum fit, dum nonnulla instrumentorum secundum passivam potentiam talia esse, alia in usu tanquam causas sine quibus non se habere, diximus, quæ tamen non sunt causæ instrumentales.

XXXV. Sed sicuti ad præsens institutum non æquè faciunt posterioris generis instrumenta, ita maximè hîc considerata sunt ea, quæ §. xxx. à nobis vocata sunt, physica, nec non effectiva. Hæc fanè ita se se habent, ut, quamvis in illis reperiantur omnia, quæ §. xxxiii. requisivimus, præcipuè potentia agendi *secundum propriam formam*, ceu docet *Thomas part. III. Quest. LXII. Art. I.* tamen tùm demum fiant causæ instrumentales, si ad illa accedat alia superior causa, eaque principalis, quæ cum ipsis concurrat, atque ea sibi subordinet. Quod ipsum si fit, suppletur defectus atque insufficientia illa secundum formam suam agendi, quæ in instrumento est, & tunc duæ illæ causæ sibi subordinatæ ad communem tendunt effectum, eòq; ipso se se habent tanquam una aliqua totalis & adæquata causa. Sic v. g. ferrâ non secat, nisi à fabrò lignariò reciproco motu agitur; nec oculus videt, nisi à facultate animæ motiva in objectum visûs dirigatur; nec manus apprehendit, nisi facultate motivâ agatur. Quamvis enim oculus sit pars ratione capitis, manus pars reliqui corporis, instrumen-

tum tamen est ratione animæ: ὅ γὰρ ἢ ἐστὶ μέρϑ ἢ χεὶρ, τὸ ἓν
ἐστὶ καὶ ὄργανον, ἀλλὰ πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο μέρϑ μὲν γὰρ τὸ σῶμα τϑ
ὡς σῶμα τϑ, ὄργανον δὲ τῆς ψυχῆς. *Non ejusdem manus & pars
est, & instrumentum, sed corporis quidem quæ corpus, pars est,
anima verò instrumentum; bene inquit Philoponus Prasat. in
I. Prior. Analyt. Atq; sic causa instrumentalis cum principalē
facit unam quasi totalem causam: Veluti securis, quæ accipit vir-
tutem faciendi scamnum à fabro, & cum eo facit unam suò modò
talem causam proximam & immediatam effectui; verba sunt
P. Fonseca ad V. Met. II. Quæst. VI. Sect. VI.*

XXXVI. Quando igitur hōc pactō causa principalis
ad instrumentum accedit, atq; suā operatione efficit, ut
ipsum quoq; instrumentum actu ipsō, quantum in se est,
ad effectum producendum concurrat, instrumentum
dicitur *elevari* à causa principali. Quæ tamen *elevatio* non
est prævia quædam impulsio facta à causa principali, sed
est ipsa principalis causæ operatio, quæ ista effectum pro-
ducit. Atq; sic *instrumentum non operatur in virtute propria, sed
in virtute principalis agentis; ceu iterum loquitur Thomas. l. c.*

XXXVII. Ex quibus patet, quæ ratione *instrumenta
& instrumentales causæ ad principalem, cui in agendo subser-
viunt, debeant revocari. Fonseca ad I. Met. VII. Quæst. I. Sect. V.*
Nec non simul inde intelligitur, quomodo sese habeat
natura causæ principalis. *Balthasar Tellesius Disp. Phys. XXVI.
Sect. I. num. 3. inquit: Principalis causa est quæ propriâ virtu-
te (nec ab alia aliqua particulari causa elevata) attingit
effectum. Instrumentalis verò causa est, quæ non attingit ef-
fectum propriâ virtute, sed virtute causæ principalis. Unde instru-
mentalis semper indiget elevatione.*

XXXIIX. Ex mente *Suaresii Disp. Met. XVII. Sect. II.
num. 6 seqq.* dici posset: Principalem causam esse illam,
quæ influit in effectum (producit effectum) virtute non
igno-

ignobiliori, quàm ad eum producendum requiritur. Instrumentalem verò seu minùs principalem causam esse illam, quæ influit in effectum (producit effectum) virtute ignobiliori, quàm ad istum effectum producendum requiritur. Quò pactò faber lignarius est causa principalis sectionis lignorum, ferra verò ejusdem effectus est causa instrumentalis. Non ignoramus quidem alios hâc de distinctione multò aliter loqui, eamq; diversimodè explicari, ceu videre est apud *Franc. de Oviedo Controv. Phys. IX. Punct. V. Rodericum de Arriaga Disp. Phys. IX. Sect. II.* ipsum quoq; *Suarezium l. c. Sect. II. num. 7. - 19.* quæ tamen jam à nobis allata est, *Suarezio commodissima & multis difficultatibus tollendis aptissima expositio* judicatur, quam & plerique hodie sequuntur.

XXXIX. Non possum quin melioris declarationis gratiâ nonnulla *Suarezii* verba ex *l. c. n. 18. 19.* apponam. *Hujusmodi, inquit, causa principalis rectè dicitur operari propriâ virtute, non solum quia habet intrinsecam & innatam illam virtutem agendi, sed etiam, quia habet illam per se proportionatam effectui, & non indigentem aliquâ elevatione; & licet interdum indigeat concursu superioris cause ob generalem rationem entis participati, non tamen ob specialem improportionem cum effectui, ideòq; solum indiget concursu sibi ratione sue perfectionis debito.* -- *Dicitur hac instrumentalis causa operari in virtute principalis agentis, quia illa vis, quæ in ea est, improportionata est & insufficientis, & solum habet vim operandi juxta mensuram virtutis & elevationis principalis agentis. Unde neq; ei propriè vel propter se talis concursus aut elevatio debetur, sed solum debetur principali agenti & ratione illius.*

XL. Sed hæc sufficiant de causa tam principali, quàm instrumentali, in qua prolixiorē forte me fuisse non est quod dissimulem. Succedit alia distinctio causæ effici-

efficientis in *primam* & *secundam* five non primam. Quam utiq; distinctionem hâc vice circa solam causam physicam spectabo, quamvis ea itidem *strictè loquendo* non pertineat ad omnem causam physicam, sed *tantum ad principalem*, utpote cujus modos nobis exhibet; ceu *Suarezius* quoq; observavit *l. c. n. 19.*

XLI. Causam primam *Suarezius l. c.* vocat eam, quæ ab alia causa in operando est independens; Secundam autem five non primam causam appellat eam, quæ ab alia causa in operando est dependens, *etiamsi per virtutem principalem & proportionatam operetur.* Quô pacto luna est causa luminis in terram nocturnò tempore sparsi, sed secunda quædam causa, quandoquidem lumen illud lunæ non est proprium, sed à sole receptum. Sol itaq; prima causa est illuminationis, quæ noctu fit à luna.

XLII. Causa prima rursus est vel *absolutè talis*, quæ nempe prorsus à nullo alio dependet, ab ipsa autem dependent omnia. Cujusmodi causa est Deus. Vel est talis *secundum quid & in certo genere.* Quô pacto prima generis humani causa fuit Adamus, imò unaquæq; res à Deo in prima creatione producta, quæq; secundum speciem multiplicari potuit, in illa sua specie prima fuit causa.

XLIII. Non inusitatè de causa prima ita loquuntur Philosophi, ut respiciant præcipuè eam, quæ maximè est talis h. e. Deum O. M. Quô pacto causæ secundæ five non primæ erunt causæ efficientes creatæ quælibet. Quâ ratione etiam de causa prima ac secunda nonnulla observabo. Et quidem i. tanquam certum suppono, creaturas tanquam causas secundas non solum verâ ac reali operandi virtute instructas esse, sed & reverâ producere suos effectus. Quod tamen olim immeritò nonnulli negârunt perhibentes, creaturas, eas præsertim, quæ secundum natura-

turalem potentiam nobis dicuntur agere, reverâ nihil, De-
um autem ad earum præsentiam omnia operari: ac si nihi-
lominus ipsis tribuatur effectus, id fieri tantum propter
externam apparentiam. Tangunt horum ineptias *Aver-
rões in IX. Met. comm. 7. Albertus M. in II. Phys. Tract. II. cap.
III. Thomas part. I. quest. 105. art. 5. & libr. 3. contra gent. cap. 69.*
suas verò postmodum fecerunt, aut minimum ab iisdem
alieni non fuerunt *Petrus ab Aliaco in IV. Sent. Dist. I. quest. I.
Gabriel Biel in IV. Sent. Dist. I. Quest. I. art. 3.* Eodem in luto
hæfisse videntur alii Arabes, qui opinati sunt, nullam penitus
à substantiis corporeis oriri actionem, sed à substantia quadam ma-
teria experte, per omnia corpora commeante; quam opinionem,
fortè ex Platonicorum scholis derivandam, tangit *Thomas
part. I. quest. 115. art. I. Vid. Conimbr. ad II. Phys. VII. Quest. XI.
Artic. I. Franc. Toletus ad II. Phys. III. t. 38. Quest. II X.*

XLIV. 2. Licet verò causæ secundæ operentur ipsæ, ad
omnes nihilominus operationes suas indigent concursu cau-
sæ primæ. Cujus tamen concursus 3. non est mediatus h. e.
ita se habens, ut causa prima in rerum productione singulis
tantum impresserit motum atq; vim agendi, eandemq; con-
servet, ceu *Durandus in II. Sent. Dist. I. Quest. V. & Dist. XXXVII.
Quest. I. fuit arbitratus, eò nomine reprehensus à P. Fonseca
ad V. Met. II. Quest. IX. Sect. II. & III. Conimbr. l. c. Quest. XII. Art.
II. & III. Bened. Pererio libr. II X. de comm. rer. nat. princ. & aff.
cap. IX. aliisque; verum est immediatus, ita ut Deus ad
quaslibet singularum creaturarum actiones actu concurrat
singulisque cooperetur; atq; sic creaturarum actiones pen-
deant à duobus principiis, sibi tamen subordinatis. Adeo au-
tem in hac sententia sibi certus est *Capreolus in IV. Sent. Dist.
XII. Quest. I. Art. 3. ut putet, eam non nisi ab homine Manichæo
negari posse. Conimbr. l. c. Art. 2. inquit: eam doctrinam non
solum Philosophiæ principiis, sed divinarum etiam literarum doctri-**

D

na

na ita consentaneam esse, ut oppositum aut minimè tutum, aut erroneum sit. Quibus assentitur Pererius l. c. inquit: *Hac doctrina non est opinabilis aut probabilis tantum, sed est omninò vera, certa, & indubitata, de qua fas nò est Christiano Philosopho dubitare.*

XLV. Concurfus ille à parte causæ primæ est universalis, illimitatus atq; indifferens, ac proinde non solum quoad speciẽ actûs, verum etiam quoad exercitiũ ejus determinatur à causis secundis, tanquã agentibus particularib9. Vid. *Stahl. Regg. Phil. part. I. Disp. VII. Reg. III. §. v.* Atq; sic 5. causa prima simul fit universalis causa, licet quoad essentiam suam sit res maximè singularis; causæ autem secundæ sunt causæ particulares. Licet verò hõc pacto causa prima & universalis ὁποκειμένω convenient, non tamen secundum illum λόγον Deus est causa prima, secundum quem est causa universalis; quemadmodum & creaturæ secundum diversos λόγους sunt & particulares, & secundæ causæ; prout indicavit *Cl. Dn. Praeses Instit. Met. Disp. VI. §. XVII.*

XLVI. Qamvis itaque ad effectus creaturarum hõc pacto duo concurrant principia, non tamen plures ac diversæ sunt eorundem actiones, sicuti nec actio causæ primæ causarum secundarum actione ita est prior, ut Deus præmoveat aut prædeterminet secundas causas, præsertim liberas, antequam operentur; contra quam sententiam operosè disputat *Didacus Ruiz de Scientia Dei Disp. XXXIIX. seqq. nec non Disp. LVI. seqq.* verum in isto concursu & actio Dei & creaturarum actio ob unitatem termini fiunt quasi una numerò actio, siquidem *illa exterior actio intimè in actione creaturae includitur, imò una eademq; est cum actione causa secundæ;* ceu significanter loquitur *B. Hornejus Comp. Met. cap. IIX. §. 27.* Quapropter & benè *Fonseca l. c. Sect. IV. ait: Deus agit cum creaturis eadem numerò actione, quã creatura agit.* Quod & confirmant *Conimbr. l. c. Art. I. arg. 3. & Art. III. ad 3.* Nec non
Bernh.

Bernh. Morisan. Phys. Disp. III. Quest. X. in eundem sensum inquit: Motio Dei concomitans est identificata actioni libera creaturarum.

XLVII. Inter causas phycas haftenus expositas adhuc aliud emergit discrimen, quod agendi modus poterit determinare. *Causa siquidem phycica duplicem potest habere agendi modum; scilicet agit illa vel naturaliter & necessario, vel liberè & contingenter; inquit Suarez Disp. Met. XVII. Sect. II. num. 6. Add. num. 20. ubi hanc distinctionem insuper refert ad causam principalem. Si prius fit, causa vocatur naturalis, si posterior, vocatur libera. Naturalis namq; causa ea est, quae positis omnibus ad agendū necessariis requisitis non potest non agere. Quò pacto sol est causa illuminationis, ignis ustionis. Imò naturalis hæc causa ita se habet, ut non solum non possit non agere, verum etiam ut non possit contraria agere, imò nec diversimodè. Naturalis siquidem potentia & causa agit ad extremum suarum virium. Vid. Scotus in I. Sent. Dist. III. Quest. II. Contra libera causa ea erit, quæ positis omnibus ad agendum necessariis requisitis ita agit, ut possit etiam non agere, imò etiam contraria agere, & inæqualiter agere. Quò pacto architectus est causa ædificii, Deus creaturarum.*

XLIX. Non tamen oportet causam hanc naturalem cum phycicâ causa confundere, ceu jam tum §. XIIIX. monui, nec liberam cum morali. Libera enim causa est species phycicæ causæ, atq; ita morali contradistinguitur. Quòd si nihilominus contingat, moralem causam esse quoq; liberam, illud vel inde fit, quia duplex effectus potest ab eadē pendere, unus proximior, cujus ratione phycica causa est, alter remotior, cujus ratione est causa moralis; quò pacto incendiarius ratione ad morionis ignis ad ædes est causa phycica, & quidem libera, moralis autem causa ratione combustionis; vel quia ejusdem effectus, cujus moralis causa est, simul est causa

physica. Quibus rationibus aliàs causam moralis cum libera possit comparari, indicavit *P. Musæus Inst. Met. cap. XV. §. 16.* quas huc transferre nolo.

XLIX. Est quoque inter causas efficientes hoc discrimen, ut alia sit *univoca*, alia autem *equivoca*. quamvis verò *instrumentalis causa* perinde ac *principalis subdividi* videatur posse in *univocam & equivocam*; ceu docet *Clar. Thomas. Dilucid. Stahl. Diss. V. Reg. I. num. 9.* hanc distinctionem tamen *Mendoza Diss. Phys. IX. Sect. XII.* ita explicat, ut tantummodò causæ principali competat, quam etiam *num. 107. constantem omnium opinionem esse* asseverat; cui suffragatur quoq; *Suarez l. c. n. 20. improprie & præter communem usum instrumentalem* aliquam causam *vocari equivocam*, ex *Alexandro Aphrodis. Averrøe, & Thoma* docens; qui quamvis etiam huc inclinare videatur, hanc distinctionem pertinere potissimum ad causas secundas & proximas, non tamen diffitetur, quin hoc pacto *causa principalis in communi ita dividatur, quia causa prima etiam est equivoca. l. c.*

L. Vocatur autem *causa univoca* ea, quæ producit effectum in specie specialissima (sive ea nomen habeat, sive non habeat) similem; ut ignis generans ignem. *Æquivoca causa* contrà est ea, quæ effectum in specie specialissima sibi dissimilem producit. quò pacto architectus est causa ædificii.

LI. Ex his deducunt *Conimbricenses ad II. Phys. V. Quæst. V. Art. II.* causam univocam ejusdem esse perfectionis essentialis cum suo effectu; causam verò equivocam & quidem principalem, suò effectu semper esse nobiliorem, cum illum effectum suum contineat eminenter. quibuscum facere videtur *Suarez l. c. n. 20.* Verum enim verò *Clar. Dn. Præses in sua Lustratione præcipuarum controversiarum in prima Philosophia occurrentium cap. VI. Quæst. VII.* perspicuè me docuit, non ubiq; verum esse, quòd causa equivoca contineat effectum suum eminenter, cum sæpe eundem contineat tan-

tantum virtualiter. Quamvis igitur ratione suæ essentiæ nobilior possit esse effectus suus, quem eminenter continet, effectus tamen, quem causa æquivoca tantum continet virtualiter, suam causam potest quoad essentiam nobilior esse, sive illa sese habeat ut causa universalis secundum quid, sive tanquam causa particularis.

LII. Neque huic distinctioni obstat, quod apud *Arist.* VII. *Met.* IX. t. 30. & XII. *Met.* III. t. 13. dicatur: *Omnia quodammodo fieri EX univoco*; licet vel maxime particulam *EX* ibidem, ceu par est, causam efficientem designare statuas. Quomodo enim hoc accipiendum sit, paucis indicavit *Clar. Dn. Praeses in Nucleo libbr. Metaph. Arist. ad l.c.* fufius verò in *Declaratione Regg. Philosophicarum*, ubi hunc locum ex professo tractavit. *Add. Dn. D. Dreieri Prim. Philos. Disp. XI. §. 9. & Disp. XIII. §. 13.*

LIII. Superest distinctio causæ efficientis in *internam & externam*. Illa vocatur, quæ vel intra se, vel in eo subjecto, in quo est, effectum producit. Hæc erit, quæ vel extra se, vel extra subjectum suum operatur. Ne verò quis putet, hanc distinctionem pugnare cum eo, quod efficiens causa sit, principium externum, cum *Stahlio Discurs. ad Tab. Metaph. VI.* dico: *Causam externam internamve dici vel 1. comparatione effectus, vel 2. comparatione subjecti, in quo ipsa causa ac principium causandi vel est, vel non est.* Si ratione effectus spectetur, omnis causa efficiens est externa; si consideretur habitus ratione subjecti, nihil obstat, quò minus alia earum sit interna, alia autem externa.

LIV. Consideravi hætenus si non omnes, plerasque tamen & præcipuas causæ efficientis physicæ species; quas ipsas si intentò tam oculò, quam animò revolvam, fugere me non poterit, in quoniam ejus *causalitas* quærenda sit. Nimirum id utiq; facile observabitur, quòd omnes hætenus expositæ causæ sint actu tales ideò, quòd vel agant, vel effi-

ciant ac moveant aliquid. Ideoq; causæ efficientis causalitas erit vel *actio*, vel *effectio ac motus*. Omnia illa *Suarezius* complecti voluit nomine *influxus* specialiter ad causam physicam traducto. Et ut specialius exprimeret, cuiusmodi influxum intelligat *Disp. Met. XIX. Sect. X. num. 5.* dicit, *actionem aut effectionem constituere vel potius denominare causam actu agentem.*

LV. Actio illa, sive effectio, sive motio ita sese habet, ut non solum ab ipsa causa, verum etiam ab ipso effectu realiter distinguatur, eaq; hoc ipso media quodammodo sit inter causam & effectum; quemadmodum & ipsemet *Aristoteles V. Met. XX.* hoc innuit, inquiens: *cum alterum efficit, alterum efficitur, effectio est media.* Quod ipsum si fuerit observatum, sententiæ & argumentis *Pauli Soncinatis V. Met. Quest. IV.* nec non *Chrysostomi Favelli V. Metaph Quest. IV.* ideò actionem non esse causalitatem causæ efficientis, quòd illa non sit in agente, sed vel in subjecto, quod patitur, vel in termino, ideoq; potius sit causæ efficientis effectus, contendendum, facile satis potest fieri. quamvis enim ipsa hæc actio faciat, ut res aliqua actu & formaliter sit causa efficiens, non tamen necessum est, ut illa subjectivè sit in ipso agente, cum sufficiat, si fundamentum istius relationis, quæ est inter causam & causatum, in ipso agente reperiat.

LVI. Interim tamen cum actio vel effectio hoc modo sit media inter causam & effectum, & verò media nonnunquam soleant participare de extremorum appellatione, fit, ut actio, imò & effectio nonnunquam appelletur causatum efficientis, non tamen aliud, quam quod nonnulli melioris doctrinæ gratiâ vocant causatum *ut quo*; interdum verò actio quoq; induit ipsius causæ nomen, itidemq; se habet, tanquam causa *ut quo*. Vid. *P. Mus. Instit. Met. cap. XI. §. 7. cap. XIII. §. 5. cap. XIV. §. 17.*

LVII. Actio

LVII. Actio illa & effectio, in qua causæ efficientis causalitatem consistere dixi, in ipso agente præsupponit aliquam *potentiam activam*. Cum igitur per hanc res apta sit, ut possit esse causa efficiens, non possum aliter, quin eandem hinc *rationem causandi* esse existimem. Activa hæc potentia in agente ita sese habet, ut non solum ipsò effectu, verum etiam ipsâ actione prior sit naturâ, imò ab utroq; horum realiter distinguatur. Unde & à *Scoto Quodl. Quest. VI. & Joh. de Rada lib. II. Sent. Contr. IX. Art. II.* appellatur *potentia causativa*.

LIIIX. Activa hæc potentia nunc generali insignitur nomine, nunc verò specialius exprimitur additâ mentione actûs, quem respicit. v. g. potentia creandi, generandi, ædificandi; nunc specialissimè exprimi potest; quò pacto v. g. ars ædificandi est ipsa illa potentia, per quam aliquis apud redditur ad ædificandum. Hæc porrò potentia activa nunc realiter idem quid est cum ipsa re, quæ causa denominatur; quò pacto potentia creandi à parte rei idem quid est cum ipso Deo & essentia divina; nunc verò est aliquid ab ista re, quæ denominationem causæ suscipit, realiter distinctum; quo pacto ars ædificandi in architecto sese habet. Atque hæc sufficiant de causa efficiente physica.

LIX. Progredior nunc ad causam moralem, de qua ante omnia notandum, quâ ratione à causâ physica distinguatur. Quamvis verò plures intercedant inter has causas differentiæ, tres tamen harum mihi videntur potissimæ. Etenim I. causa physica in effectum ita influit, ut eundem vel entitate suâ immediate attingat, vel attingat eundem mediante instrumentò physico, non verò mediante sive interveniente causâ morali. Moralis verò causa, si exclusivè sit talis, effectum producit, sive ut alii loquuntur, in effectum influit mediante causâ physica, sæpius quidem principali.

Ac

Ac proinde 2. causa physica eò ipsò dum est causa, existere debet actu. *Quæ enim non sunt, quònam pacto loquentur aut ambulabunt? quonam pacto ædificabunt, movebunt? IV. Met. IV. t. 16. Non entibus non attribuunt ipsum moveri, h. e. neque movent, neque moventur. XI. Met. III. t. 7. At verò etiam illud, quod esse reale non habet, causa moralis esse potest. 3. Causæ morali imputatur effectus in laudem & vituperium, præmium ac pœnam; causæ verò physicæ, ut tali, effectus eò modò non imputatur.*

LX. Atque hoc adeò verum est, ut communi quasi consensu causam moralem vocent eam, quæ *per se*, h. e. entitate suâ *non efficit* sive attingit effectum, ita tamen se gerit, ut secundum moralem seu prudentum estimationem effectus ei imputetur; verba sunt *Morisani Disp. Phys. III. Qu. VII. desumpta ex Svarasio Disp. Met. XVII. Sect. II. n. 6. Conf. Mendoza Disput. Phys. IIX. Sect. IX. n. 115. Fonseca ad V. Met. II. Qu. V. Sect. I. Stahlus Tab. Met. VI. & Instit. Met. cap. XII. Slevogt. Disp. præct. VI. §. 4. Quæ descriptio vel ideò accommodata est, quòd facilis sit, & per notiora nobis in hujus causæ cognitionem nos deducat. Stahl. Disc. ad Tab. Met. VI. Quamvis potissimum hoc pacto describatur causa moralis exclusive sumta, prout causæ physicæ contradistinguitur,*

LXI. Causatum hujus causæ moralis ita sese habet, ut simul à physicâ causâ dependeat; siquidem mediante causâ physicâ moralem ad effectum concurrere §. LIX. indicavi. Quamvis autem hujusmodi effectus à duabus hòc pacto sibi subordinatis causis dependeat, aliter tamen refertur ad causam physicam, aliter ad causam moralem. Ad illam quidem, quatenus vel immediatè entitate ipsius, vel mediante instrumentò physico ab eadem attingitur; ad hanc verò, quatenus mediante causâ physicâ vel mediante instrumentò morali ab eadem producitur, atq; ita se habet, ut

ut ipsi causæ morali vel in laudem vel in vituperium possit imputari.

LXII. Effectus itaq; causæ moralis itidem est moralis: Imò equidem à qualitate hujusmodi effectûs ipsam causam suam sortitam esse appellationem, plenissimè sum persuasus. Cùm enim hic effectus causæ morali possit ac debeat dictò modò imputari, illum tamen non attingat, inde sanè factum, ut ista *prudentum more atq; existimatione perinde habeatur, ac si physica causa sit, ac verà & reali actione effectum, qui ipsi imputatur, produxisset*; ut loquitur *Slevogt. l. c. §. 5.*

LXIII. Imputatio verò illa, sive imputabilitas non quidem est formale constituens causam moralem, est tamen ejusdem formale consequens; *Vid. P. Mus. Institt. Met. cap. XIII. §. 42.* atq; propterea apta est, quæ nos in illam rationem, ob quam factum aliquod morale fit, & imputationem illam mereatur, haud multò negotio deducat. Quam rationem si habuerimus cognitam, reverà causæ moralis causalitatem attigimus.

LXIV. Harum vero rationum, ob quas effectus potest ac solet imputari, plurimæ esse possunt; Vel enim ideò factum imputatur, quia aliquis jussit hoc fieri, vel quia svasit illud, vel quia applicavit agens ad patiens, aut vice versâ patiens ad agens, vel quia removet prohibens cum intentione, vel quia exemplò suò induxit, & si qui sunt alii modi, quorum plerosq; *Clariss. Dn. Preses in Institt. Met. Disp. VII. §. X.* enumeravit. Aliquos eorundem *Thomas 2. 2da. Quest. LXII Art. VII.* his versiculis exhibuit:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Alii observante *Martinò Chemnitio in LL. Theolog. part. 1. de peccato* his utuntur versiculis;

E

Con-

Consulo, precipio, consentio, provoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Non obsto, sed precipio, & defendo aliena.

LXV. Quamvis igitur magna sit varietas specierum, quas causa moralis sub se complectitur, & propterea dici vix possit, in quoniam causalitas ejus in communi sit posita, uti agnoscit Slevogt. l. c. §. 13. videntur tamen isti modi ad pauciores, in quibus plerique conveniant, revocari posse, modò ad causati, quod morali causæ respondet, conditionem respiciatur. Hoc causatum ita comparatum esse dixi, ut vel in laudē vel vituperium possit imputari, atq; hōc ipso morale sit. Sicuti verò certum est, istiusmodi effectum, quem nullā ratione volumus, atq; ad quem nihil contulimus, vel si contulimus quidem aliquid, id tamen factum est à nobis invitis sive propter vim aliquam insuperabilem, sive ex ignorantia quādam τῶν καὶ ἐκαστῶν invincibili, quamq; dolor subsequitur, non esse moralem, sed si læsio quædam subsit, merum esse ἀτύχημα, casumq; propterea à nemine præstari, juxta l. contractus ff. de Reg. Jur. & l. quæ fortuitis C. de Pignorat. act.; ita oppositò modò iste effectus erit pro morali habendus, qui si non proæreticus, minimum tamen spontaneus est; cujusmodi sunt in læsionibus ἀμαρτήματα καὶ ἀδικήματα; de quibus vid. Arist. V. Eth. IIX. 1. Rhet. XIII. §. 29. 30. Hugo Grot. lib. III. de J. B. & P. cap. XI. §. IV.

LXVI. In his enim effectibus moralibus adest principium & causa faciens, ut homo sit principium ac parens istarum actionum, quemadmodum pater liberorum: III. Eth. V. §. 10. nullaq; alia est, quàm volitio & intentio vel actione aliquā, vel debitæ actionis omissione expressa. Quò pacto demum factum erit spontaneum & voluntarium, eoq; nomine agenti poterit imputari. Quā in sententia inde etiam
con-

confirmor, quòd pro diversitate hujus intentionis variet,
quoq; imputatio, adeò quidem, ut ne actiones quidem mix-
tæ eà ratione, quaten, spontaneæ ac voluntariæ sunt, ab illa
imputabilitate possunt excipi, ut docet *Arist. III. Eth. I. §. 6.*
seqq. Imò ne illæ quidem, quæ fiunt ab ignorantibus, modò
non fiant ex ignorantia. *ibid. §. 35. 36. 37. & cap. V. §. 17.*

LXVII. Gradus verò ac diversitates hujus rei pendent,
à diversitate scientiæ ac cognitionis non solum τῶν καθολῶν,
verùm etiam τῶν καθ' ἕκαστα; quæ proinde scientia & cog-
nitio itidem est principium actionis effectûsq; moralis, sed re-
motius, quodq; non quidem tanquam causa proxima, sed
tantùm tanquam conditio quædam necessaria se se habe-
bit; à qua proinde intellectûs scientia hoc consequitur,
actio, quòd sit spontanea, sicuti à volitione sortitur hoc,
quòd sit volita sive voluntaria. Quod si verò illa scientia,
sit cum aliqua deliberatione conjuncta atq; sic ex prævia,
intellectûs deliberatione fiat actio, perfectissimum illa habe-
bit moralitatis gradum, vocabiturq; à suo principio remoto
deliberata, à proximo autem *proæretica*. Atq; hinc est, quòd
licet in læsionibus omnis culpa sit præstanda, etiam levissi-
va, juxta *l. 44. ff. ad l. Aquil. l. 2. Institt. de l. Aquil.* aliter ta-
men imputetur culpa levissima, aliter levis culpa, aliter la-
ta culpa, quippe quæ sicuti dolo est proxima *l. 8. init. ff. de*
edend. l. 32. Quod Nerva ff. Depos. l. 22. §. 3. ff. ad Sc. Trebell. ita
in civilibus dolo æquiparatur *l. 1. §. 1. ff. si mens. fals.* Inde
etiam est, quòd culpa quidem non infamet, dolus autem
infamet, quiq; de dolo damnatus est, ignominiosus fiat,
juxta *l. 3. Institt. de pæn. tem. lit.*

LXIX. Ex his etiam modi τῶν Velle sunt explicandi. Vo-
litio enim & intentio nunc est directa, nunc indirecta, nunc
plena, nunc minùs plena, nunc tantùm præsumta, nunc li-
bera,

bera, nunc adstricta. Et si quæ sunt rationes aliæ, secundum quas imputationem ipsam variare debere nimis est manifestum.

LXIX. Adeò verò ob volitionem & intentionem nobis imputantur actiones, ut non solum earum habeamur auctores atq; causæ, quæ à nobis vel mediatè vel immediatè sunt perpetratæ, verùm etiam ut aliorum facta possint nostra fieri, nobisq; imputari, quandoquidem aliquo etiam modò ἢ τῶν αὐτῶν ἀρχὴ ἐν ἡμῖν ἐστίν, III. *Eth.* III. §. 29. Quæ de re ne prolixior sim, legi vellem *Hug. Grot. lib. II. de J. B. & P. cap. XXI. §. 1. 2 seqq.* nec non *libr. II. cap. XVII. §. 6. 7. 8. 9.* *Pufend. lib. I. de J. N. & G. cap. V. §. 14.*

LXX. Ex quibus omnibus hoc apparet, *volitionem & intentionem* esse illam rationem, quæ facit, ut res aliqua sit causa moralis; ad quam proinde pleriq; ejus modi poterunt revocari. Hæc tamen intentio non debet tantum intra animum delitescere, sed ita se habebit, ut vel actus alicujus exercitiò vel actus debiti omissione sese exerat, cum in foro humano non internæ actiones, sed demum externæ ab illis internis directæ sint morales. Accedit & hoc, quòd impossibilia quidem possimus velle ac intendere III. *Eth.* II. §. 14. 15. II. *Endem. cap. X.* attamen sicuti impossibilia à nobis in rem haud deducuntur, ita & illa illorumq; omissiones nobis non imputantur; atq; sic impossibile nullum est obligatio, *l. Impossibile ff. de Regg. Jur.* nisi quis fortè suam culpam vires aliquid præstandi detriverit aut perdiderit.

LXXI. Quòd si ergò *intentio ac volitio* hòc modò se se habens plerumq; est causæ moralis causalitas, facile licet colligere, rationem causandi ejusdem esse *liberam* volendi ac intendendi *potentiam*. Habet namq; homo à voluntate tum quòd spontè agat (agere possit) i. e. ut non per intrinsecam aliquam necessitatem ad agendum determinetur, sed actionis suæ ipse autor sit:
tum

tum ut liberè agat, i. e. ut unò objectò propositò possit agere vel non agere, idemq; eligere, vel respuere; aut pluribus objectis propositis unum eligere, cetera respuere; inquit Pufend. libr. 1. de Offic. Hom. ac Civ. cap. 1. §. 9. Atq; ex his simul judicare licet, causam moralem, præsertim principalem, quæ se habet ut principium Quod, agens liberum esse. Slevogt. l. c. §. 28.

LXXII. Ceterum nondum omnem causæ moralis latitudinem per vestigavi. Cum enim causa moralis suam causalitatem exercere possit, licet vel nondum existat, vel non existat amplius, (id quod moralis causa præ physica quoq; commune habet,) ejusq; rei rationem evidentem esse dicat Slevogtus l. c. §. 8. sicuti hujus rei indicium feci §. LIX. sciendum est, eò in casu propterea effectum morali causæ imputari, quòd agens physicum morali quâdam ratione ad hujusmodi effectum producendum induxerit & moverit. Quæ tamen motio aliter se habebit, quàm motio causæ finalis. Atq; sic si rationem habeamus non quidem motionis causæ finalis, sed motionis moralis, ad moralem causam suò quoq; modo pertinet causa impulsiva, præsertim externa; cui contradistinguere solemus causam impulsivam internam, quæ quamvis cum altera illa, nempe externa, ad idem causarum genus vix queat revocari, adeò tamen arctè cum ea videtur esse conjuncta, ut causa impulsiva externa sine interna ad agendum haudquaquam videatur movere. Neq; tamen diffimulandum est, causam hanc impulsivam externam non ubiq; omnium, quorum causa esse dicitur, causam esse formaliter talem, sed plurimorum tantum virtualis, sive, ut alii loquuntur, ratio impulsiva à priori futura erit. Prout hæc omnia docuit Clariss. Dn. Præses Institt. Met. Disp. VII. §. XIV. XV. XVI. Ubi verò Moralis causa talis est per motionem moralem, necessum est, eam præcedere aptitudinem moraliter

lalter hâc pactô movendi; quæ eô in casu pro ratione cau-
sandi erit habenda.

LXXIII. Atque sic patet, quâ ratione se se habeat causa
moralis. Quemadmodum autem suprâ causam physi-
cam diximus esse vel principalem vel minùs principalem,
ita nihil impedit, quò minùs & hanc diversitatem inter cau-
sas morales agnoscam. Vid. *Slevogt. Disp. Pract. VI. §. 13.*
Causa in genere morum principalis geminâ dicitur ratio-
ne: 1. quæ effectum vult, & causam physicam ad eundem
producendum movet propriâ auctoritate ac virtute aliun-
de non pendente. Cui opponitur causa in genere morum
minùs principalis, quâ causa ejusdem generis principalis
in productione effectus à se intenti utitur, quæque proin-
de ex præscripto, jussu, nutu, arbitrio, aut etiam consilio
alterius ad effectum aliquid confert. Quò pactô dominus
est causa principalis, servus minùs principalis; utpote qui
Aristoteli I. Polit. IV. ὄργανον πρὸ ὀργάνων dicitur. Instru-
menta namque sunt illi quoque, qui ita agunt suâ voluntate,
ut ea voluntas ab altero pendeat; inquit *Hugo Grotius libr. I. de*
J. B. & P. cap. V. §. 1. quò pactô servum ratione domini, fi-
lium ratione patris, subditum ratione Regis se habere ibi-
dem docet.

LXXIV. 2. Causa in genere morum principalis ea
quoque appellatur, quæ causam physicam movet virtute
suâ ac valore propriô. Quò pactô causa in genere morum
minùs principalis erit illa, quæ cum in se non habeat, quò
causam physicam moveat, eandem tamen movet valore
acceptô à principali; sive quæ movet virtute ac dignitate
causæ in genere morum principalis. Ita *meritum Christi*
per modum causæ principalis propriâ dignitate ac valore movet,
DEUM non solum ad decretum de hominibus firmâ fide
illud

illud amplexuris suô tempore salvandis faciendum, sed & ad salutem reipsâ iisdem impertiendam: *fides autem meritum Christi amplexa* eò movit Deum per modum *causa instrumentalis* five minùs principalis, non propriâ, sed *meriti Christi dignitate*, quod apprehensum nobis applicat, & *moralis ista unione nostrum facit*; erudita sunt verba *Slevogti l. c. §. 8. 4.*

LXXV. Sunt quidem nonnulli, fortassis *vervecum in patria crassog, sub aère nati*, qui, postquam semel monstrosas animô suô conceperunt opiniones, easq; crassâ ignorantia obstetricante ad infelicem partum præparant, causam in genere morum minùs principalem *pro monstro in Philosophia* habent; attamen hóc ipsô nihil agunt, quàm ut majus, ac ostendere cupiunt, enitantur monstrum, cui tamen retundendo clavâ Herculeâ vix opus esse reor, cum multò sit levius, quàm ut tantâ violentiâ indigeat, ceu ostensum est à *Clariss. Dn. Velthemio Instit. Met. cap. XXIX, num. 1. §. 9. p. 1384. seqq.*

LXXVI. Monstro potius simile quid orbi erudito obtrudere conati sunt, qui vel dixerunt causam moralem esse tantùm causam apparenter talem, *eine Scheinursache*; vel eandem cum causa sine qua non coincidere; uti videre est in erudito libello cui titulus: *Klage der Cause moralis und conditionis sine qua non, wieder einen der aus beyden eines machen will. pag. 30. seqq.* vel licet causa moralis cum causa sine qua non ex se non coincidat, *applicatione tamen ad certam materiam v. g. de bonis operibus, & salute aeterna illas eòdem recidere*; vel causam moralem esse *causam equivocam, cum ut est & manet moralis, verum influxum in effectum non habeat, indeq; nec vera & propriè dicta causa sit.* Apagè verò tam infulas doctrinas! Postremam fanè amuletò opus habere, facile vidit, qui *Ebelii Aphorismos Metaphysicos recognitos* ante septem hos annos Francofurti denuò edidit, *ad Disp. X. §. 10.*

LXXVII. Videor

LXXVII. Videor quidem satis de causa morali & quomodo ad causam physicam se se habeat, dixisse: siquidem maxime haecenus eandem spectavi, prout exclusivè talis est, interim tamen non possum diffiteri, quin evenire queat, ut una eademque res non solum ratione diversorum effectuum, ut concedit *Slevogt. l. c. §. 10.* verum etiam ratione ejusdem effectus sub alio tamen atque alio λόγῳ sit & causa physica & moralis simul; ut rectè docet *P. Musæus Instit. Met. cap. XII. §. 15. & cap. XIV. §. II.* Quandoquidem si v. g. *Cajus* manu suâ interficiat *Sempronium*, is non solum hujus necis causa physica est hoc ipso, quòd physicâ actione ad illam cædem aliquid conferat, verum etiam moralis erit causa hoc ipso, dum cædem illam intendit, & ex hac intentione aliquid ad eandem confert, sicuti & propterea eidem imputatur. Quamvis verò contendere nonnullos videam, contradictionem implicare, idem simul & per se causam physicam & moralem esse posse in ordine ad eundem effectum, at-

non obtusa adeò gestamus pectora Teucris,
quin defectum illorum requisitorum, quæ aliàs ad contradictionem sunt necessaria, primo intuitu animadvertamus.

LXXIIX. Sunt qui dicunt, *Cajum* isto modo *Sempronium* interficientem esse quidem *agens morale*, non tamen esse *causam moralem*. At verò liceat mihi quærere: Si non est causa moralis, cur ipsi hæc cædes imputatur? Imputabilitas namque est formale consequens effectum causæ moralis. Si causari velis; ideò hoc factum *Cajo* imputari, quia est *agens morale*; nihil aliud dicetur, quàm ideò factum istud *Cajo* imputari, quia intendit istud & ex intentione aliquid ad ipsum contulit. Sed qui hoc modo se habet, utique est causa aliqua moralis.

LXXIX. Equi-

LXXIX. Equidem non ignoro, esse differentiam quamdam inter *agens morale* & *causam moralem*, quam etiam optimo consilio tetigit *eruditus autor libelli supra cit.* *Klage der causa moralis* &c. ita quidem, ut *causa moralis* non semper sit *agens morale*. Etenim i. nonnunquam illud est *causa moralis*, quod non existit; quô pacto Jonathan dudum fatis functus meritis suis olim exhibitus *causa* erat, ut David Mephibosetho faceret benigne. ii. *Sam. IX. v. 7. IO. cap. XXI. v. 7.* qui tamen non erat *agens morale*. Agere namq; præsupponit esse. 2. Interdum quoq; fit, ut quis effectum quidem intendat & ex intentione aliquid ad illum conferat, eundem tamē actione suâ non attingat. quô pacto se habent, qui consiliū dant, qui jubent, qui nō impediunt, &c. qui omnes sunt quidem *causæ morales*, non tamen *agentia moralia*, quia actione vel effectione suâ non attingunt effectum. Addunt nonnulli 3. *Causam moralem* posse esse talem per actionem indifferentem, cujus effectus itidem sit indifferens; id quod de agente morali non possit dici, utpote cujus & actio & effectus semper sit *moralis*. Cui tamen postremæ differentia equidem prorsus nihil tribuo, ceu mox apparebit.

xxx. Ut ut verò sit aliquid discriminis inter *causam moralem* & *agens morale*, ita ut possit quidem esse *causa moralis*, quæ non sit *agens morale*, non tamen propterea negari debet, *agens morale* esse *causam moralem*. Siquidem omnino fieri potest, ut id quod physicâ actione attingit effectum five laudabilem five vituperabilem, eôq; pacto *agens morale* est, simul etiam eo ipsô, dum illum effectum intendit atque efficaciter vult, ejusdem effectûs, quem physicâ actione attingit, sit *causa moralis*, ac propterea imputationem facti in se derivet. Id quod laudatus *autor libelli Germ.* recte quoq; inculcat pag. 28. ita inquit: *Es kan beydes* (agens nempe morale, quod est *agens physicum*, & *causa moralis*) *in et-*
nem

nem *subjecto* zusammen kommen/wie solches mit Exempel
könte dargethan werden. Quam egregiam doctrinam pro
mea sententia merito accipio.

XXCI. Unicum circa hoc negotium adhuc addendum
puto. Communiter quidem creditum est hactenus, causam
physicam & moralem ita exhaurire efficientium causarum
latitudinem, ut inter illas non detur media aliqua causa.
Cujus quidem rei duplex animadvertere licet fundamen-
tum. Etenim 1. supponitur: sicut omnis causa physica est
causa immediata, ita omnem causam moralem esse medi-
atam, h. e. operari mediante causâ physicâ realiter à se
distinctâ. 2. Omnem causam, quæ mediante causâ phy-
sicâ (principali) agit, esse moralem, sive actio & per con-
sequens effectus sit moralis, sive sit indifferens.

XXCII. Verum enim verò ut aliam sequi cogar senten-
tiam, efficit doctrina *Clariss. Dn. Præsidis Instit. Met. Disp. VII.*
§. 1. nec non in Lustrat. Controv. suprâ allegatâ cap. VI. Quæst. III.
in qua me etiam confirmat *P. Musæus Instit. Met. cap. XI. §. 13.*
& cap. XIII. §. 44. Et quidem priorem hypothesein eò ipso
jam tum semovi, dum ostendi, agentia moralia, quæ utiq;
immediate attingunt effectum, simul quoq; causas morales
esse. Altera hypothesis ex parte collabascit, si ostendatur,
1. non omnem causam, quæ mediante causâ physicâ
principali ad effectum aliquid confert, esse moralem.
Id quod exemplis quàm optimè doceri potest. Siquidem
canis ad fornacem accurrens utique est causa caloris in
se producti, quandoquidem eò fine juxta fornacem
recumbit, ut calefiat; non tamen istius caloris physica
causa est, ceu patet, nec moralis, quia non confert aliquid ad
effectum ex intentione, quippe quæ est actus facultatis ra-
tionalis, unde & effectus cani non imputatur. Pariter res
se habet circa generationem brutorum. Id enim quod ge-
nerat

nerat in alio, nihil aliud agit, nisi quòd agens aliquod principale vi plasticâ instructum ad patiens applicet. Quamvis itaq; huiusmodi brutum in alio generans non sit causa physica, uti facile ostendi potest, nec tamen causa moralis est, easdem ob rationes, ut ut mediante τῆς γωνῆς, tanquam causâ physicâ principali, effectum producat.

XXCIII. 2. Altera quoq; hypothesis concidit eâ ex parte, quâ supponit, actum & effectum causæ moralis nonnunquam esse indifferentem. Id quod sanè omninò negandum puto: Sicut enim causæ physicæ respondet effectus physicus, ita morali causæ non nisi moralem oportet respondere effectum, qui utiq; ita se habet, ut agenti non quòcunque modò tribui, sed vel in laudem & præmium, vel in vituperium & pœnam possit imputari; Qui verò effectus hanc proprietatem non habet, cuiusmodi sanè est effectus indifferens, ille etiam non respondet causæ morali. Sic v. g. si quis jentaculum edens latrantem alterius stomachum ad appetendum cibum excitet, idq; ex intentione quâdam, ille non quidem physica causa huius rei erit, sed nec moralis, quandoquidem alterius famem excitata edenti non imputatur in laudem vel vituperium. Edere autem vel non edere est indifferens, sicuti & indifferens est, alterius famem provocare vel non provocare. Aliter verò res se habet, cum idolothytis: cum enim horum esu infirmis scandalum possit præberi, de iisdem edere utiq; actus moralis fieri potest. Vid. *Rom.* XIV. v. 15. *I. Cor.* II. v. 4. 10. 11. Add. *Slevogt. l. c. §. 53.*

XXCIV. Atque ita apparet, omninò esse quandam causam efficientibus annumerandam, quæ tamen nec physica sit, nec moralis. Quamvis verò ea hætenus peculiari nomine destituatur, mirum tamen id esse non debet, cum natura longè plures habeat res, quàm iisdem significandis nomina sunt imposita. *l. 4. ff. de præscript. verb. Conf.*

III. *Rhet.* XIII. §. 14. *lib. Categ.* VII. §. II. *libr. I. de Elench.*
Soph. cap. I. §. 5. Habet nihilominus illa ἀνάγκη causa ali-
quam convenientiam cum causa morali, præsertim exclu-
sivè tali. Scilicet 1. quemadmodum causa moralis exclusivè
talis suâ entitate non attingit effectum, sed potius entitate
causæ physicæ principalis; ita & causa illa, quæ inter phy-
sicam & moralem est media; ceu patet exemplô canis ali-
um canem generantis. 2. Quemadmodum causa moralis
ab effectu, ad quem aliquid ut causa moralis contulit, vel
potest esse longè remota, vel etiam non amplius existere,
quando effectus à causa physica producitur: incendiari-
us enim simulac ignem in flammam post aliquot demum
horas erumpendum applicavit, vel mori, vel in locum
remotiorem se recipere potest; ita etiam media hæc causa
simili ratione nonnunquam se habere potest. Simulac
enim canis τὴν γονὴν ad uterum applicavit, vel mori potest,
vel generationi non est præsens, illa autem nihilominus
tamdiu continuatur, donec foetus partui sit maturus.

XXCV. Remanent tamen non paucæ differentiæ. Etenim 1. effe-
ctus causæ moralis est liber, at verò effectus pendens à causâ illa inter-
media non semper est liber, sed aliquando naturalis. 2. Causa moralis
intendit effectum moralem, & ex ista intentione aliquid ad eundem con-
fert; At verò causa illa intermedia vel non intendit effectum, quando
videlicet non est agens liberum, sed actus provenit ex potentia naturali;
vel si intendit quidem effectum, is tamen erit non-moralis, cum sit in-
differens. 3. Causæ morali imputatur effectus morali ratione; ad illum
verò modum effectus causæ illi intermediæ non imputatur, cum illius
effectus vel non possit esse moralis, vel possit esse non-moralis. Quod
posterius futurum est, si sit indifferens. Quibus ita expositis pedem nunc
figo, benevolum lectorem officiosè rogans, ut si in quibusdam lapsus
fuerò, benignè me velit monere, sin videbor aliquantulum
fuisse liberior, nulli rei magis, quàm veritatis amori
omnia me indulgisse arbitretur.

os(o)so



ALVENSLEBEN
T
173



B.I.G.

Farbkarte #13

METAPHYSICA
DE
A EFFI.

NTE,

VAM

ini Numinis gratiã

CADEMIA JULIA

ESIDE

BARTHOLDO

EIERO,

ia Professore Publico

Ordinario

mandam proponit


HENRICUS Behm/

werderensis

AUTOR

EO MAJORI

rtii cl5 Isc XXCIV.



T 173

MESTADI,

RICI HESSII.

